

tem adegit, fororibus stuprum intulit, uxores interfecit, Patriam incendio concussit.

Talis Nero, & tamen æterna ejus durat memoria, durat Effigies non tantum in Numismatibus, sed etiam in Gemmis. Vix tamen aliquid in his laudaveris præter artificium. Cervix obesa immoderatissimæ luxuriæ indicium est; Coma in gradus formata cultûs habitûsque pudendi; Oculis utebatur cæsis, sed hebetioribus, Vultu pulchro magis quàm Venusto; Laureâ utebatur, utebatur Coronâ radiatâ; Quid mirum? Sacratas Apollini res cur non contaminet is, qui putidissimo Vitiorum conspurcatus agmine ipsius Apollinis non est veritus mentiri personam?

XXIII.

VITELLIUS.



UT Virtutum ita & Vitiorum est Catena; Vix inveneris, qui uno tantum diffluat. In Nerone Crudelitas eminebat, in Vitellio Voracitas; Neuter tamen caruit, nec Ille voracitate, nec Hic crudelitate. Aspice vultum adipe plenissimum, & collum enorme! Aspice Oculorum horrorem! Aperta habebis utriusque indicia.

Eum quis non Crudelitatis arguat, qui *hostem occisum optimè olere* dixit, *melius Civem*? Qui pronus ad cujusque, & quacunque de causa, necem atq; supplicium? Qui Nobiles Viros, Condiscipulos suos & Æquales vario genere fraudis occidit? Qui quondam in ipsa Salutatione supplicio traditum statimque revocatum, cunctis clementiam laudantibus, coram interfici iussit, *velle se*, dicens, *pascere oculos*? Qui alterius poenæ duos filios adjecit deprecari pro Patre conatos? Qui, ne in quoquam Neroni cederet, & de Matris interitu suspectus traditur?

Eum quis non Gulæ damnaverit, qui per medias Civitates ritu triumphantium vectus est, perque flumina delicatissimis navigiis & variarum